

tionabilis autem timor non modo apparet ex parte, & ex natura morbi, qui aptus est interdum in mortem terminare, sed ex aliis plerisque conditionibus, ut ex malo carceris aere, ex ineptitudine ministrantium, & medicamentorum non opportuna exhibitione, ex gravibus infirmi pathematis, quæ omnia cum plerisque aliis facile ad Ægri interitum etiam in infirmitate alias non lethali, sed tamen gravi, conspirare consueverunt.

25 Multo magis ergo carcere excusabit infirmitas gravissima etiam in delicto gravi, quia quæ in infirmitate gravi evenire dixi, multo magis locum habent in gravissima, & multo promptius ad Ægri mortem cooperantur, quam in gravi; atque ea de causa acceptissimum apud Medicos est, gravissimos morbos, quales acuti omnes sunt, in carceribus non nisi summa cum difficultate, & cum evidenti ægri discrimine, curari posse, ut demonstrat Baptista Codronch. in method. resif. cap. 2. per totum.

Vtrum autem gravissimorum delictorum Rei ob gravissimas huiusmodi infirmitates à carceribus extrahi debeant, ego quod ad me non pertineat, non determino. videtur Farinac. in negativam sententiam abire loco cit. ibi, Nisi gravissimi criminis qualitas, vel indiciorum multitudo repugnaret. mihi satis superque est admonuisse, in carceribus detentos morbo periculoso, aut acuto laborantes facile, & prompte interire, difficillime, & ægerrime ad salutem perducere, cum ob inopportunitatem remedium administrationem, tum ob vehementes animi passiones, & maxime timorem, & mareorem, quæ si quid aliud infelicem morborum exitum promittunt.

S V M M A R I V M.

- 1 Inter tormenta frequentius est tormentum funis.
- 2 Chorda subtilis majorem infert dolorem, quam grossa.
- 3 Iudex debet uti cautione circa tempus intermedium inter ligaturam rei, & elevationem in tormentum.
- 4 Suspendio majorem cruciatum affert, quam ictus; contrarium ex Fortunato.
- 5 Quassationes minus periculose, magis dolorose, ictus contra magis periculosi, minus dolorosi.
- 6 In nullo delicto quæritur ultra tres ictus.
- 7 Tormentum funis per unum brachium inflatum aut magis molestum, aut magis periculosum, aut magis dolorosum.
- 8 Ictus in tormento funis per unum brachium inflatum magis periculosus, quam in inflato per utrumque brachium.
- 9 Quibus ingenis iudices funis tormento atrocitatem augere soleant.
- 10 Cur post refrigerationem à priori tortura major fiat cruciatus in secunda.
- 11 Parum à terra elevatus in tormento majorem dolorem experitur, quam multum elevatus.
- 12 Cur ex abrasione pilorum rei facilius confiteantur.
- 13 Chorda non possunt rei torqueri ultra hanc spatium.
- 14 Tortura repeti non potest.
- 15 Reus non potest torqueri continuatis diebus.
- 16 Spatium inter unam torturam, & aliam quantum esse debeat. dic ut num. seq.
- 18 In chordæ tormento quædam partes præ cæteris patientiam.
- 19 In Chordæ tormento humeros laxari fas est.
- 20 Chordæ tormentum peccari inimicissimum.

De tormentis in specie, & primo de tormento funis.

Q V Æ S T I O III.

I Nter tormenta, quæ in usu nunc sunt, frequentius, & usitatus est tormentum funis, ut jam superius dixi, quia cum magnum inferat dolorem, ac cruciatum, hominis saluti nequaquam officit, & idcirco Iudices ubique terrarum eo utuntur in quæstionibus. in eo tamen infligendo multa offeruntur consideranda, quæ ad ejus tormenti majorem, aut minorem tolerantiam facere videntur, unde magis, aut minus ab eo in particularibus personis abstinendum Iudicibus est, qui animum ad hoc advertere debent, ut majorem, aut minorem dolorem ex tormento reus percipiat, quo major, aut minor ejus apparet tolerantia: nam, exempli gratia, chorda subtilis majorem multo infert cruciatum, quam grossa. Carrer. in pract. crimin. in princ. num. 167. Giavar. in addit. ad Clar. q. 64. lib. 5. lit. a. Farinac. quæst. 37. nu. 62. in debilibus ergo, in pueris, in senibus, in valetudinariis grossa Iudex utetur, in robustis, in juvenibus, aut viris, in sanis subtili, & sic de cæteris, & idcirco prior illa ligatura, quæ tenuiori vinculo coriaceo fit, quod dixi vocari, la stringa, videndum an in prioribus moderari debeat, ne tam atrociter torquendos cruciet, nam eam tantum facit Farin. ubi supra, num. 38. & quæst. 41. nu. 19. ut eam ipsissimo tormento æquiparet, quin & in priori loco num. superiori dicebat; hanc ligaturam tam atrocem esse, ut carnem dilaniet usque ad ossa, itaque cum ipsa atrocitate tormenti Iudex hanc quoque computare debet, eamque in certis personis magnificare.

Eadem cautione utendum circa intermedium tempus, quod intercedit inter ligaturam, & elevationem, quippe cum si diuturnum sit, erit maximæ considerationis, ut idem Farinac. animadvertit d. quæst. 38. nu. 38. Medicus autem considerabit in hoc partium tam arte vincitur intimescientiam; & quid succedere possit præcipue in aliquibus personis debilibus, cum ex Avicenna habeamus 4. primi cap. 20. nonnullos ex forti ligatura aliquando periclitatos in phlebotomia faciendâ; quid autem in hac tam arcta ligatura, & tam diuturna evenire potest, & maxime si post diuturnam hanc ligationem funi appendantur, ibique per notabile spatium detineantur? videat ergo, ne eos, quos à tormento eximi debere judicat, sed ligari permittit, pari tormento exagitari faciat, ac si fune torquerentur, si per longum spatium ligati permanere permittantur, aut in aliquod periculum eos coniciat.

Præterea cum in hoc tormento, ut dixi, rei aut simpliciter suspendantur, aut etiam concatenantur, vel quæsentur, fune, cui appenduntur agitato, aut denique ictu à summo Throchleæ præcipites deorsum labi permittantur, suspensi tamen à terra remanentes, voluerunt Iureconsulti, ut post multos Farinac. loc. cit. suspensionem majorem cruciatum afferte, quam ictus; cum tamen ex Medicis Fortunat. Fidel. lib. 2. Relat. cap. 3. contrarium firmare videatur dicens, in simplici suspensione molestia quidem plus, minus doloris inesse, in concussione minus molestiæ, plus autem doloris. ego quomodo horum DD. auctoritatem conciliare possim non

non habeo: mihi certe Medici opinio fit verisimilior, quia major fit violentia in ictibus, quam in simplici suspensione, major igitur unitatis solutio, & ex consequenti major cruciatus, quia ex majori, & violentiori unitatis solutione majorem fieri non est dubium. Farinac. ut mihi videtur, molestiam à dolore non sejunxit, sed unum idemque esse voluit, & sic ejus sententia vera esse potest, quia summa molestia, quæ percipitur in suspensione dolori associata superat absque dubio molestiam, & dolorem in ictibus perceptum. controverti illud non potest, quod idem Farinac. d. q. 38. nu. 54. dicebat, quassationes nimirum minus esse periculosas, magis tamen dolorosas, quam ictus, utriusque autem minus periculosa est simplex suspensio, unde quassationes, seu concussiones, & ictus vitandi in certis casibus, de quibus postmodum agemus. & ea de causa, ob imminens nempe periculum ex iteratis ictibus, non possunt multoties repeti, sed in quocunque delicto, & in quocunque quæstione etiam in atrocissimis non dantur ultra tres ictus, ut post vetustiores Farinac. ibid. nu. eodem. Ambrosin. de mod. for. process. in fin. lib. 4. cap. 4. nu. 6. considerabile tamen maxime in ictibus est, utrum ab altiori, vel humiliori loco inferantur, cum quanto ex altiori loco inferantur, tanto majorem vim reus patiat, tantoque majori vice periculo exponatur; cui rei ex mea sententia terminus esset præscribendus, neque temere ex qualibet altitudine ictus inferendi.

Quoniam autem evenit aliquando, quod reus altero brachio est impeditus, & idcirco per unum tantum brachium torquetur, ut in usu esse testantur Brun. de Ind. & tort. par. 2. cap. 2. nu. 6. Farinac. d. quæst. 38. nu. 63. Guazzin. ad def. reor. def. 30. c. 20. n. 7. & alii, videndum esset an hic torquendi modus sit magis, vel minus periculosus, & an majorem, vel minorem molestiam, & cruciatum inferat, nam si magis fit periculosus, magis item molestus, & dolorosus, certe cautius à Iudice in eo infligendo procedendum esset, neque posset forte per tantundem temporis in tormento reos detinere, ut quando per utrumque brachium torquentur.

Sed contrarium mediusidius verius videtur, nempe tormentum funis per unum brachium inflatum & minus molestum, & minus dolorosum, & minori periculo subiectum esse. nam præterquam quod (hoc enim ad multo majorem cruciatum facit) brachia sic non contorquentur, certum est partes numero pauciores male habere, & minorem multo spiritus angustiam fieri. Illud maxime in hoc casu considerabile est, ictus majus afferre periculum, quam cum per utrumque brachium rei torquentur: quia cum corporis pondus ab unico brachio sustentetur, si per se ex alto labi permittatur, suspensumque remaneat, totam vim unicum brachium sustinet, & sic impossibile est quin ligamenta, Nervi, musculi, & mulculorum capita in ea parte lacerentur, ac discendantur, unde in postfero homo brachii illius ulum vel in totum, vel in partem amittat; præterquam quod alia pericula ex ea re imminere possunt, ut rupturæ venarum, & dilataio arteriarum in ea potissimum parte, quæ alligatum brachium respicit; cavendum ergo duxerim ab ictibus, & præcipue violentis in hoc casu, & potius quassationibus utendum, quæ cum ab omni periculo immunes sint, sufficientes existimandæ ad ream, quantum necessitas requirit, cruciandum.

Cæterum in hoc tormento infligendo Iudices, ut alias dixi, multis utuntur ingenis ad molestiam, & cruciatum augendum; tale illud est, cum baculum inter utrumque pedem rei in fune pendens immittunt, ne eos simul jungere possit, quod quanta cum molestia fiat testatur post alios sæpe adductus Farin. loco cit. n. 65. non dissimile est cum compedes, vel pondus aliquod reorum pedibus appendant, dum in fune suspensi maneat; nam & ex hoc major dolor, neque impar molestia concitatur, & idcirco his non utuntur nisi in delictis atrocissimis, eorum atrocitate tormentorum atrocitatem exposcente, sed non satis ad hoc est delicti atrocitas, nisi simul robustus rei vigor ad eam tormentorum atrocitatem sufferendam sufficiens existat; quia quantumvis atrocitas delicti sit, nunquam tormentis rei possunt enecari, cum illis uti liceat pro quæstione, non pro poena, ut alias dixi; sunt ergo hæc in debilibus, & insufficientibus evitanda.

Superat autem ejus tormenti hac ratione infligendi sævitiam id, quod nonnullos Iudices facere dicunt, Carrer. in pract. crimin. in princ. n. 189. ex Parid. à Put. de Synd. cap. 4. n. 6. & post hos Farin. ubi alias, nu. 66. imperare nempe reos jam tantisper tortos à tormento deponi, ac permittere eos à prægresso labore superexcalfactos refrigerari, refrigeratos denuo tormento subijcere duplicato in tormento ex prægressa refrigeratione, mirum in modum dolore. ac cur hoc? In priori tortura corpus infligitur, exalhit, pori adaperiuntur, nervi, nervosæque omnes partes, & quæcunque nervorum naturam æmulantur, relaxantur; superveniente mox frigore, & per jam patentes poros facile ad eas partes sese infinuante, illæ obrigesunt, post ex novo tormento majori multo cum cruciatu eas distendi, ac divelli necesse est; unde non fit hoc absque periculo disruptionis, evulsionis, & lacerationis valorum, & patientium particularum; quamobrem non immerito & hoc ab usu recessit, quemadmodum & projectio frigidæ in rei dorsum, quæ ob eandem ipsam rationem parem superiori infert cruciatum.

Considerabile & illud in hoc tormento est, quantopere nempe reus à terra elevetur, hanc parum à terra elevatus majorem experitur dolorem, quam qui magis elevatur, ob rationem à DD. adductam, de qua re non sinit etiam Fortunat. nosker loc. cit. eandem afferens rationem, quæ talis est; nam dum multa vi terræ inniti suspensi rei contendunt, atque in hoc uno totis nervis incumbunt, partes magis distenduntur, ac seipsos plurimum exagitant, atque dilacerant, etenim quo propius id laboris solamen cernitur, quod inhibetur, eo magis potiundi sollicitat desiderium. ita Fortunatus, & ex Iureconsultis Carrer. in pract. crim. in princ. nu. 178.

Sed antequam ulterius progrediamur quæri potest hic cur abrasio pilorum id operari videatur, ut rei facilius à tormentis victi, veritatem confiteantur? ita enim esse rem habere dicit Parid. à Put. Carrer. ubi proxime, & ex aliis Flam. Chartar. in pract. interrog. reor. lib. 4. cap. 1. num. 222. vers. Quomodo capillus capitis. & Ambrosin. de mod. form. process. in fin. lib. 4. cap. 7. nu. 6. Mihi quidem, ut veritatem ingenue fatear, nulla de ea re physica ratio, quæ satisfaceret, in mentem venire poterat. In facris quippe robur in capillis adnotatur, ut in Sampson, Induc. cap. 16. cui abrasio capillis omnis vigor, & fortitudo illico recedebat, & renascentibus fortitudo redibat, ut ibi vers. 19. Apud Poetas etiam, ut

nu. 49. Farinac. *quest. 41. nu. 16.* & Guazzin. *ad def. reor. def. 30. c. 11. in princ.* & ex Medicis Fortun. Fidel. *loc. supras cit. rubr. Cujus etatis, &c.* Sed nota DD. velle impuberes eximi quidem ob ætatem teneriorem ab omni tormento, sed si à statuto habitentur ad testimonium dicendum (forte quia tum malitiam superabundare credendum est) posse torqueri. Bart. *in d. l. de minore. Farinac. d. quest. 41. nu. 22.* quod quam bene sit prolatum ego non video, quia licet habitatio ad testimonium dicendum fiat alicubi ob maturius advenientem in hominibus animi vigorem, & quia ut Perls. *Sar. 4.*

— *Ingenium, & verum prudentia velox*

Ante pilos venit, dicenda, tacendaque callent.

tamen hoc non facit, quod possint esse habiliores ad tormenta toleranda, quia hæc tolerantia respicit vigorem, & robur corporis, non animi: nam possunt quidem alicubi terrarum pueri maturius quartodecimo anno cum animi vigorem habere, quam alibi vix quartodecimo adipiscuntur, sed non idcirco hinc sequitur, quod debeant corpore esse validiores, ita ut tormenta facilius tolerare possint; licet, ut ingenue dicam, videtur in omnibus robur animi sequi ad corporis robur, sed tamen prudenter moderati sunt prædictam sententiam iidem DD. quod hoc sit intelligendum de tormentis levioribus, ut de ferula, vel scutica: nam ea regula, quod minores torqueri non possint, maxime intelligenda habere locum in tormento funis, quia ut Fortunatus dicebat, & infimul ipsa ratio dicit, impuberibus adhuc corpus non est tam firmiter suis articulis compactum, neque ita nervorum duritie munitum, ut ex hoc tormento non insigne damnum, ac certum salutis detrimentum sint reportari. Unde ex hoc idem Fortunatus (& maxime quia pubertas non eodem tempore in omnibus advenire solet) illam ad decimum octavum usque annum extendit; vult, inquam, Chordæ tormento non posse adolentes ante hunc terminum cruciari; sed quæ à Jure determinari non possunt, iudicis requirunt arbitrium; itaque particulares naturas ipse, requisita, si libet, Medici sententia, antea considerans, aptas, vel ineptas ad hujus tormenti tolerantiam judicabit, quod satis superque illorum esse potest ex compagine, & fortitudine membrorum, ex aspectu, & corporis habitu.

Quoad senes etiam protracta regula est apud eodem Iureconsultos *ex l. si quis gravi. §. ignoscitur. ff. ad sen. conf. Syllanian. & Claud.* (qui tex. an ad hanc rem faciat ipsi videant) eos torqueri non posse Bellouf. *ubi supra, num. 13.* Brun. *loc. cit. par. 2. cap. 4. nu. 18.* Carrer. *ibid. nu. eod. Farin. cit. quest. 41. num. 24.* Guazzin. *adducta def. 30. cap. 12. num. 2.* & ex Medicis idem Fortunat. *ubi alias, rubr. ead.* & hoc nonnulli voluerunt locum habere in omni tormento etiam levi. Bos. *in præd. crim. tit. de tort. num. 20.* Farinac. *ubi supra, num. 29. in fin.* Sed hoc non debet in omnibus indifferenter procedere, quia nisi præcipitata ætatis sint, & viribus effectis, non video cur non possint saltem levioribus tormentis cruciari. Quinam autem ad hunc effectum dici debeant Senex, recte à Iureconsultis definitum puto, quod iudicis arbitrio relinquatur, ut per eundem Farinac. *ibid. nu. 28.* Sed qui terminum aliquem præfigunt, extendunt illum ad septuaginta annos, ita idem Farin. *loc. cit. num. 25.* sed Fortunatus noster (licet nihil certi ex Iureconsultorum monumentis potuisse se elicere circa hoc dicat, forte quia

noluit in hoc tempus contere, aut necessariis libris carebat) senes à sexagesimo tertio anno à tormentis facit immunes: ratio ejus termini est, quod omnis ætatum series, ut ex nostro Hippocrate patet, per annorum septimanas progreditur, unde in septimana sequenti annum sexagesimum tertium, senes plerumque viribus omnino destituuntur, & ad omnem laborem inhabiles fiunt, quod corpore, & animo langueant: sed melior est Iureconsultorum sententia, quia nullus certus terminus in ulla re, & præcipue in ætatum mutatione, potest in particularibus assignari, & sic Iudicis arbitrium in hoc intervenire debet, erit enim qui sexagesimo tertio ætatis anno vegetior, & robustior erit alio, qui nondum quinquagesimum excesserit, diffidius tamen omnino ob allatam à Fortunato rationem, Iudices eo termino transacto senes torquere debent, & omnino lenius.

Porro impedimenta ex parte morborum quam plurima sunt, cum multiplex item esse possit morbus, ex quo quis torqueri impediatur. & primo morbi respicientes totum erunt febres quantunque sint, quia cum in Chordæ tormento maxime spiritales partes afficiantur, & plurimus in illis calor ex molesto tormenti labore excitetur, periculum est, ne ex calore etiam minimo magna febris accendatur, sed utrum excusare debeat simplex Tertiana intermittens, aut simplex quartana saltem in diebus intermittens, dico, quod debeat excusare, & maxime Tertiana ob id, quod corpus facile ex incallescencia à tormento, & labore facta, & calidissimis humoribus jam putrescentibus refertum, majorem de facili potest calorem concipere, & ex simplici tertiana convulsam, imo acutam febrem excitare: minus quidem periculi esset in Quartana, in qua humores prædominantur frigidiores, sed tamen, nisi admodum levis sit, idem ex ea periculum impendet, quod quidem majus erit ex hoc, quod Quartana ex simplici continua facta est maxime periculosa, ut Cels. *restit. lib. 3. cap. 15.* eadem autem ratio est de singulis morbis, qui febrem comitem habent, neque enim in hoc negotio quicquam refert, utrum accidentalis febris sit, quia in utroque casu par imminet periculum.

Cæterum alii morbi, qui impedimento sunt, ne Rei huic tormento subijci possunt à capite enumerando sunt, ejusdem capitis insignes dolores, Vertigines, Apoplexia, & Epilepsia, nempe, inquam, cum rei alias apoplectica, aut epileptica symptomata pati consueverunt, ejusdem tumores, & vulnera non præsentia solum, sed etiam à multo tempore prægressa, præcipue si insignia extiterint, post hæc quinque, si ei homo facile sit obnoxius, vultus Trachæ, vel adjacentium partium præsens, aut prægressus, earundem partium tumores non aspernabiles, dehinc omnes pectoris morbi notatu digni præter, & ultra eos, qui febrem adjunctam habent, adnumeranda & hic est Tussis longa; rebellis, & molesta, Astma, & omnis spirandi difficultas, catharrus molestus, & maxime tenuis, & salus præsentia, aut prægressa pectoris vulnera, & ulcera notatu digna, & præcipue fistulosa; venarum quæcumque solutio continua, sive, inquam, scissæ, sive apertæ, sive ruptæ, sive exsæ sint, raucedo perpetua, Empiema, Phthisis, & si qui alii ad pectus spectant, cum quibus adnumerandi etiam cordis morbi, vel minimi momenti, ut ejus palpitatio, tremor, lipothimia, syncopsis.

Pecto-

9 Pectoris morbos sequuntur morbi ventriculi, ut dolores, vomitus frequens, & molestus, cardialgia, tumor, & alii non aspernandi. hos sequuntur cæteri morbi infimi ventris, inter quos connumeranda Aqua intercus; Hydrops dicta, maxime jam confirmata, Herniarum species omnes, nisi subtilibus, aliisque ingeniis imminenti periculo occurratur, licet cum Hernia, sive Ruptura est intestinalis, & magna tutum non sit his remediis fidere. & licet Fortunat. ubi alias admiserit ad suspensionem, & concussionem etiam aliquos herniosos habita cautela prædicta, tamen neque magnos tumores illos pati, neque multum adaperitos esse voluit, & adverte quod nullus herniosus debet ictibus torqueri, licet ille ad concussionem non admittat, quæ videtur apud ipsum ictum significare, non quassationem, nam, ut patet, Quassatio differt ab ictu, quam differentiam non videtur Fortunatus cognovisse.

10 Qui Articularibus doloribus, & lignanter partium superiorum insensum sunt ab hoc tormento videtur excusandi, quia facile est acerrimo dolore in laeis particulis excitato, eas inflammari, & ob externa causa violentiam in canceram facefere concurrente præsertim partium debilitate, ac caloris inopia: & esset me hercle satis superque si ad judicandum ipsorum libitum dolores Arthritici in Reis excitari possent, qui pro tormento interserent, nam permultos eorum mediocriter cogenter ad consentiendum etiam nolentes veritatem, neque ullis aliis ad hunc finem tormentis egeremus, tam acerbos, & tamque atroces dolores illos articulares esse clamant Podagrici, & Arthriticorum omnis turba. Non tamen conticendum est, quod Guilelm. Fabrit. *Observ. Chirurg. cent. 1. observ. 79.* narrat, plurimos scilicet ex tortura ab arthriticis doloribus, & à podagra fuisse liberatos, quod si ita est, jam non esset timendum, quia suo potius commodo, quam incommo Arthritici tortura essent exponendi.

11 Gallico morbo affectos Iureconsulti ab hoc tormento excipiunt, ita Charrat. *ex Decian. lib. 4. præd. inter. reor. cap. 1. nu. 112.* Farinac. *q. 38. nu. 33. in fin.* & Guazzin. *d. def. 30. cap. 4. nu. 25.* Sed hoc certe indifferenter in omni Gallico morbo non habet locum, neque verisimile est, id sibi voluisse DD. ut quicumque Gallicus morbus Reos à tormento excuset; cum ergo id ipsi non desiniverint, nempe cujus qualitatis morbus esse debeat ad hoc, ut Reus torqueri non possit, ad nos pertinet hoc determinare, cum ex Arte notum habeamus, quando nam imminere possit ex hoc morbo periculum, si Reus huic tormento exponatur, dicendumque tunc periculum notabile illum minitari, cum gravia symptomata secum afferat, ut sunt Artuum dolores maxime noctu molestissimi, ulcera caeotica, & maligna, tumores similis naturæ, quos gummata vocant, ossium caries, capitis dolores gravantes, noctuque similiter exacerbati, corporis consumptio, & marasmus, leuta febricula, & id genus alia, nam & potest ex supra nominatis morbis aliquem excitare, cum nullum priorum genus morbi sit, quod à Gallico seminio excitari non possit, & cui non possit morbus Gallicus associari, verum enim vero neque in hoc potest quicquam certi determinari, unde & arbitrio Iudicantium hoc ipsum moderandum censet, addito Medicorum consilio.

12 Cæterum impedimenta, quæ Artuum dispositionem respiciunt, enumerantur à Fortunato ubi alias, & primo est brachiorum debilitas ex præ-

Liber VI.

gressa eorum effractione, modo non acciderit ante pubertatem, quia fractura ante eam ætatem eventens non solum facile sanatur, & proprie quidem sanatur, Avic. *5. 4. tractat. 1. cap. 1.* sed ossa ad conveniens, imo ad majus etiam robur redire solent: post pubertatem autem contrario modo evenit, unde suspendi quidem tales permittit Fortunatus, sed ea cautela adhibita, ut si insolitus livor in pendentis Rei brachiis animadvertatur, illico deponatur à tormento, sed nimis certe ille rigidus est, qui periculi experientiam in Reorum caput facit permittit, neque dubium est id periculi imminere, ne jam effracta ossa iterum frangantur, fatisque hoc videtur ad eximendum Reum ab hoc tormento. Sed & vulnera insignia brachiorum jam perpeffa eandem afferunt excusationem pro Reis, quia non permittunt brachia extendi, & periculum est, ne ad extensionem coacta disrumpantur, neque Articularum tantum, sed aliarum quoque partium ipsorum brachiorum, & præcipue magna, & transferim insulsa vulnera, in quibus par est, venas, arterias, capita musculorum, nervos fuisse recisos, ob eandem ipsam causam Reos hoc tormento cruciari non permittunt, fuit autem hæc ex magnis cicatricibus relicta satis intentibus conspicua.

Voluerunt insuper ex Iureconsultis Bernardin. *ad Ambros. de mod. form. præfess. lib. 4. cap. 2. nu. 13. in fin. 13* & ex Medicis jam nullus citatus Fortunatus *loco eodem*, à tormento hoc servandos quoque eos immunes, qui ulcuscula in brachiis, quæ fonticulos, & cauteria vocant, gestare solent; dilacerari enim brachia dicit Fortunatus, maxime si ex longa talium fonticulorum gestatione, ut ulvevit, brachia sint emaciata, quemadmodum scemina cuidam evenisse testatur; unde Reorum malitiam notat idem Bernardin. *ubi supra*, qui, ut se ab hoc excimant tormento, hujusmodi cauteria sibi in brachiis excitant. Tumores etiam in brachiis notatu digni idem impedimentum afferunt, restante eodem Fortunato ibidem, de quibus multo minus intercedere dubium debet, quam de fonticulis prædictis, cum periculum, ut mihi videtur, ex his evidentiis, ac certius emanare possit.

Sed & inter cætera impedimenta ea connumeravimus, quæ corporis dispositionem, ac habitudinem respiciunt, ut est in primis nimia, & luxurians obesitas, & turgida membrorum, ventrisque inferioris compago: neque video quid ad hoc faciat Fortunati distinctio, qui voluit non de omni obesitate hoc verum esse, sed de illa maxime, quæ à natura, & à prima ætate advenit, nisi quod in his, qui procedente ætate pinguescunt, calor naturalis major, & vasa ampliora, in illis vero, qui à Natura pingues sunt, minor absque dubio calor est, & vasa angustiora reperuntur, ita docente Galen. *comm. 2. Aphor. 44.* unde periculo majori exponuntur, sed non ob id à periculo sunt immunes qui per accidens pinguescunt; quia admodum obeli non ob id solum servantur ab hoc tormento immunes, quia periculum sit, ne præ nimia corporis mole musculi læcerentur, & venæ, & vasa quæcumque disrumpantur, sed etiam, ut addit Fortunatus, quia omnes hi difficultatem respirandi patiuntur, ob quam non solum à concussione, & quassatione (pro quibus ille ictus intelligit) ut vult hos eximerem, sed etiam à simplici suspensione, & maxime ad longum tempus, quia & in simplici quoque suspensione insigniter respirationem hædi constat, præterquam quod Apoplexia, & Syn-

ij. N n

& Syn-

& Syncopi esse nimis obætos obnoxios palam est, quam etiam ob causam non sunt huic tormento subiiciendi. Inepti præterea huic supplicio sunt, qui pectus habent angustum, humerisque ac spatulas eminentes, & alati ob id vocantur. præterquam quod enim huiusmodi habitudinis homines quam plurimis morbis sunt obnoxii, ut Phthisi, Empiema-ti, Hæctica febris, sanguinis sputo, & similibus, difficultatem etiam respirandi ingentem in tormento patiuntur, eo quod non tantum aeris attrahere præ thoracis angustia valeant, quanto in eo labore indigerent.

15 Sed neque valetudinarii, & debiles funis tormenta apti sunt, cum utriusque præ imbecillitate facile possint deficere: facile item est eos novis ægritudinibus ex ea violentia prehendari, non sine manifesto vitæ dispendio: sed quinam ad hunc effectum debeant dici debiles, & qui valetudinarii, non ita in promptu est. signa equidem, ex quibus valetudinarii depræhendi possint, jam percurri lib. 3. tit. 2. quæst. ult. nu. 7. sed in hac ipsa re Iudicis arbitrium requiri non est dubium, quod requisita Medicorum sententia ferre debet.

Ad corporis dispositionem spectat jejuniis ne, an satur homo sit, & omnes Iudices ea cautione utuntur, ne tormento subiiciendi de recenti comederint, aut biberint. Paris à Put. de synd. verb. Tortura 3. cap. 4. num. 11. Clar. lib. 5. Recept. sent. quæst. 64. num. 29. Chartar. in pract. interv. Reor. lib. 4. cap. 1. nu. ult. & ibi Bernardin. in schol. Farinac. quæst. 38. nu. 32. Guazzin. ad def. Reor. def. 30. cap. 4. nu. 20. & ex Medicis Fortunat. loco sepe cit. rationem hujus cautionis Iureconsulti dicunt esse, ne stomachus subvertatur. ita quoque & ipse Fortunatus, quia molestissimus eo tempore esset vomitus. sed aliæ urgentiores causæ ad hoc concurrunt, compressio primo partium spiritualium ex ventriculi plenitudine, & præcipue septi transversæ; quam tamen causam non admittens Fortunatus videtur aperta fronte Galeno contrariari lib. 6. de loc. aff. cap. 5. vras. med. dicenti, Etenim cum aliquis se impleverit, ventriculus intumescens plane videtur septem transversum comprimere, atque hanc ob rem spiratio redditur crebrior. quia uniusquisque hoc in seipso facile sæpius experitur; concesserim quidem Fortunato non quantalocumque cibo ingesto ventriculum ita tumebere, ut septem transversum comprimere possit, sed multo. quoniam ergo in hoc tormento respiratio plurimum læditur, ut jam sæpiissime diximus, si Rei, qui de recenti se cibis, & potibus impleverint, illo torqueantur, majorem multo, & non absque periculo respirationis difficultatem incurerent. His addendum impedimentum ex vomitu proveniens, de quo alii loquuntur; cum enim facile sit post ciborum assumptionem per agitationem in tormento factam nauseam, & vomitum excitari, suffocationis periculum absque dubio immineret; quia in tormento pectus ob violentam musculorum compressionem compressum minus libere respirare potest, de hinc major ex labore in tormento sit respiracionis necessitas, unde superveniente vomitu, & ob motum sursum majorem in modum pectus comprimendo, & laborem, & respiracionis necessitatem augendo, & dolorem etiam ob agitationem ab eo factam addendo, homo facillime exitio exponeretur, stante insuper quod vomitum pectori ex sui natura sit inimicus, ut dicit Avic. lib. 1. fen. 4. cap. 14.

Optimo igitur jure præcipiunt Iureconsulti, ut Rei per decem horas cibum, aut potum non assumserint, si tormento subiiciendi sint; quem tamen terminum multi ad pauciores horas restringi voluerunt; licet plures in decem conveniant, ut Paris à Put. & Clar. volunt: nonnulli dicunt sufficere septem, ut Ambrosin. Alii etiam sex, aut quinque, ut Farinac. & nonnulli alii apud Fortunatum. sed ex Iureconsultis Bernardin. loco citat. & ex Medicis Fortunatus ipse ibid. longiori spatio decem nempe horarum adhaerent, & tutius ex mea sententia procedant; licet narret Fortunatus bis se vidisse Reos proxime à cibo tortos nihil no-cuamenti reportasse; non idcirco tamen hæc exempla videntur sequenda, si cum debita circumspeditione in re tanti momenti procedere in animo sit.

Sed in hac ipsa re est aliquid maxima consideratione dignum, nempe quod si in omnibus indifferenter per decem horas à cibo expectes, antequam tormento eos subjicias, summus error aliquando intervenire poterit; cum enim sint quidam homines ejus institutionis, & habitudinis, ut cibos facile conciant, & jejuniis difficillime ferant, quales ii sunt, quos picrocholos, id est, biliosos nominamus, certe si post decem horas à cibo hostortormento subjicias, ex hac una causa poterunt inter tormenta levi negotio deficere: itaque Iudex in his minus temporis spatium observabit, & ut eos ex aliquibus signis cognoscatur, & non decipiat, sciat hos plerumque esse habitus gracilis, coloris pallidioris, ad citrinitatem vergentis, vel etiam ad fuscenedinem, statura aut procerioris, aut etiam pusillæ, colericæ naturæ itæ ad iram promptæ. Cum his etiam Anni tempus considerandum est, difficilior enim uno, quam alio tempore homines jejuniis tolerare possunt; sic & de ætatibus quoque considerandum, cum una quam alia difficilior ferat jejuniis, ut patet ex Hippocr. 1. Aphor. aliorumque medicorum auctoritate.

Denique mulieres si utero gerant, si puerperia habeant, aut si lac præbeant, à tormento hoc excipiuntur, & multo magis. & quoad Prægnantem textus est in l. Prægnantis. ff. de Pænis à DD. adductus, qui tamen de tormentis non loquitur. Brunnus de Ind. & Tortura par. 2. cap. 2. num. 6. Bellovis. in pract. Iudic. titul. de Quæstion. num. 7. Clar. lib. 5. Recept. quæst. 64. num. 22. Carrer. in pract. crimin. in princ. nu. 180. Farinac. post multos quæst. 41. num. 78. & hoc procedere in quocunque prægnantiæ tempore non est dubium, ut dicit idem Farinac. ibidem num. 38. & Fortunat. Fidel. loco sepe allegato.

Concordant etiam omnes de Puerpera, nempe de ea, quæ de novo peperit, quam per quadraginta dies dicunt torqueri non posse. ratio assignacionis ejus termini conveniens quidem videtur, non quod ob juncturarum nonnullarum separationem, aut ossium motionem necesse sit tot diebus expectare, ut idem Fortunatus voluit, neque solum quod purgacionis puerperii per quadraginta dies durent, quia in pluribus ad tam longum terminum non producuntur, sed quia etiam cessantibus puerperii adhuc venæ hiant, & aperta ad hoc usque tempus in pluribus remanent, ad expurgandas quasdam superfluitates in utero substantiæ à partu relictas. evenire igitur facile potest, quod venæ in tormentis adhuc magis adaperiantur, & sanguinis fluo-

fluorem, aut alium etiam non minus periculosum morbum excitent, & præcipue hystericos, seu uterinos dolores, quos ipso Chordæ tormento atrociores esse aliquando ipsa docet experientia.

21 Sed & lætantes non solum ratione Infantis, sed ratione etiam sui ipsarum exceptæ ab hoc tormento sunt; fieri enim potest, ut ex tormenti violentia, & sanguis ad mammas decurrens (si modo ex sanguine lac generetur, quod non infirmis rationibus improbat) & ipsum lac, quod jam ad mammas delatum est per totum corpus dispergatur, unde & dolores, & febres non contemendas excitari posse certum est: præterquam quod, ut dicit Fortunatus, bona sanguinis parte in lætante ad mammas decurrente sit, ut ipsa mulier minori sanguinis copia abundet, & ea de causa debilis reddatur; sed ego hoc suppositum falsum existimo, non enim video nutrices se ipsis fieri debiliores, & idcirco non ex sanguine lac fieri censendum, quomodo enim integras sanguinis libras, imo binas singulis diebus ex nutrice ad annos elicies? sed nunc non datur his locus, obsecro, lector humanissime, vide quæ pro hac opinione afferat cumulatissime Prosper Martianus ad lib. Hipp. de Nat. Puer. versic. 250. & alibi in commentariis ejusdem Hipp.

Sed his omissis superioribus rationibus allatis pro lætantibus, quod torqueri non debeant hoc maxime Chordæ tormento, addam etiam quod longo tempore jejuniæ permanere non possunt, passas autem illas torquere, ut alios homines, est periculosum; si ergo eas impastis per decem horas ad tormentum duxeris animi deliquio, lipothimia, syncope facillime prebanduntur; si passas, eas in illa pericula conjicies, de quibus jam locuti sumus.

22 De mulieribus autem cum sermo sit illud oportune queri potest, cur sit, quod Chordæ tormentum facilius sustinent, quam viri? ita tradit ex Iureconsultis Ant. Scap. apud Chartar. in pract. interv. Reor. lib. 4. cap. 1. nu. 210. & ex Medicis Fortunatus ubi sepe, & confirmat experientia, & communis hominum assensus. ipse Fortunatus hoc ex eo evenire credit, quod non adeo molestantur à respirandi difficultate in ipso tormento, ut viri, quia pectus multo latius obtinent, unde addam quod etiam extra tormentum respirandi difficultatem facilius tolerant, quam viri Aretæo teste lib. 1. Albor. cap. 11. oportuit namque à Natura mulieri latius pectus donari ob prolis nutritionem; sed interdu non tantum ex hoc fit, ut in consistenda veritate sint pertinaciores, sed qui summa Animi pertinacia dotantur, quippe quæ frustratim se concidi libentius eligant, quam contra id facere, quod in animo obfirmaverint suo, cujus muliebri vitii testis est communis hominum opinio, sed de hac re vide, quæ afferit Tiraquell. in leg. com. lib. 1. §. à num. 34. ad plures sepe. At unde est, si hoc tormentum facilius sustinent, quod plerumque facilius quam viri quæ perpetraverint confiteantur? nam ita firmat Tiraquell. ubi supra, num. 136. & Ambrosin. de mod. form. process. lib. 4. cap. 6. num. 2. & idcirco volunt, ut testatur Paris à Put. de Syndic. verb. Tortura 2. cap. 2. num. 3. & idem Ambrosin. ibid. quæstionem esse primo à muliere impientiam, quod facilius confiteatur, an ne timiditas Animi vincit pervicaciam? an forte impossibile est, feminam quæ novit tacere? an utrumque simul in ea re aliquid operari dixerim?

S V M M A R I V M.

1. Vigilia tormentum atrocius quam Chordæ.
2. Quæ partes in Vigilia torquentur.
3. Quocumque impedimentum Chordæ tormentum, impedunt etiam tormentum Vigilia.
4. Peculiare morbi, qui Vigilia tormentum Reis insigunt non permittunt.
5. An vigilia torquendi comedere, aut bibere possint antequam tormento exponantur.

De Tormento Vigilia.

Q V Æ S T I O V.

A Trocitatem Tormenti, de quo jam locuti sumus, superat, ut dixi, non ratione doloris tantum, qui insupportabilis est, ut dicit Farinac. quæst. 38. nu. 71. verum etiam ratione temporis, quod detineri in tormento Rei solent, superat, inquam, absque dubio alterum tormentum, quod Vigilia nuncupant, & cujus descriptionem jam dedi quæstione prima, in quo tormento insigendo non aliter quam in superiori plura veniunt consideranda; & primo quæ de ligatura, & de tempore intermedio inter ligaturam, & torturam, cum eadem hic sint, omnia etiam in hoc locum habent: non alter enim Rei tractantur, quam si Chordæ tormento essent subiiciendi. brachia tantum in hoc non tantum attrahi, & extendi possunt, saltem insigniter, quia hoc esset manifesto Reorum exitio, ut ex Farinacio alias dixi. sed tamen aut parum, aut multum quatenus hujus tormenti qualitas fert, extendi solent. dolor in utroque casu acerbus, sed in postremo pernecabilis, & notatum experientia est, de qua testatur Farinacius, plures ex hoc in ipso tormento perisse: nam non modo cooperatur hic tam insignis, ac tam diuturnus dolor, qui aliquando pertranfit spatium quindecim, ac viginti horarum, sed etiam spirandi difficultas, quæ cum tanto dolore, ac labore, cum tanta totius corporis, ac tam varii generis cruciatu non potest hominem non multum lædere.

Cæterum in hoc tormento totum fere corpus suum particularem cruciatum experitur: torquentur enim diversæ partes, & pæne omnia corporis membra, sive artus præcipui, ut brachia, quia retro contorta, & archissima, ac dolorosissima alligacione vincita per longum tempus detinentur, crura quia summo cum incommodo distracta, ac tam molesto situ collocata omnibus inferioribus partibus cruciatum communicant, pectus item, & un-versus thorax, infimulque venter suum particularem dolorem, & anxietudinem experiuntur, sed maxime omnium os sacrum, & coccix in eo cruciantur, cum un-versa corporis moles super ipsum decumbat, & ipsæ Ossis sacri, ac coccigis partes super obtusam illam, & acuminatam planiciem non enarrabili molestia, ac cruciatu recumbant. Succedit his omnibus molestia ex Vigilia ipsa, cum dormire neque possint Rei, neque permittantur: imo hoc uno incommodo famulum erat hoc tormentum in sui naturæ exordiis, ut alias dixi, auget autem mirum in modum dolores, & molestias ipsa vigilia, & corpus multo magis debilitat, ut notum est.

Cum ergo hoc tormentum non eadem modo incommoda, sed etiam multo majora, & numero plura afferat, quam tormentum funis, etiam si

tempore illud non tantopere superaret, certe hujus molestia, & atrocitas, molestiam, & atrocitatem illius aequaret; cum vero tantopere illud exuperet, superfluum est asseverare hoc illo esse pari cum cautela infligendum, imo majori, ut monet Farinac. *3. quæst. 38. num. 71.* atque idcirco dubium esse non debet, quod omnia ea, quæ impediunt, ne quis Chordæ tormento cruciari possit, multo magis impedimento erunt, ne quis huic tormento subjiciatur; nisi brachiorum quadam impedimenta excipere velis, quæ tamen ego respiciens ad cruciatum diurnitatem non exciperem. quinimmo leviores aliquos morbos, qui forte Chordæ tormentum non sufficienter impedire videntur, ut esset leviscula Tertiana simplex, aut etiam Quartana, certe ab hoc tormento exculare dixerim, quia tametsi inter unam, & aliam Quartanæ febris accessione longa sint interstitia, nempe duorum dierum, tamen nimis violenta ea tormenti causa est, neque fieri potest, ut tam violenter, & tam longo tempore agendo ex intermittente continuam febrem non faciat in copore jam ad concipiendum febrilem calorem disposito, atque eadem ratio militaret, ne judice, in omni vel leviscula febricula, & in quibuscunque aliis levioribus morbis, unde eadem causa, quæ insufficientis videtur ad impediendum, ne quis sine torquetur, sufficiens evadet ad impediendum, ne quis tormento Vigilæ crucietur.

Sunt tamen præter enumeratos morbos in superiori quaestione alii nonnulli, qui peculiariter impedimento sunt, aut esse possunt, ne Rei huic tormento exponantur, quales illi omnes sunt, qui infimam sedem, circumjacentesque partes obsident, ut tumores sunt, sive apostematæ eorum locorum, dolentes, aut tumentes, aut ulceratæ, aut fistulosæ hæmorrhoides, quæ quidem venæ quædam cum sint numero quatuor, quarum duæ à splenetico ramo, duæ ab Epigastriaco descendentes ad extremum podicem se conterunt, interdum inflammantur, apostematantur, ulcerantur, & fistulas concipiunt. & quocunque ex his modis afficiantur, sufficientissimum impedimentum præbent, ne Rei torqueri hoc supplicio possint, quia facillimum esset ex tormenti violentia nova apostematæ & inflammationes gigni, aut jam factas in cancerenas abire, & malam qualitatem induere, quemadmodum etiam & in eorum ulceribus evenire potest; imo & in simplici earum venarum aperture, neque solum hoc locum habere debet cum de præsentis morbi Reos molestant, sed etiam si confiet de facili illis molestari solitos, de qua re cum nihil apud quemquam scriptum repererim, certe peculiarem haberi mentionem decuit; licet de Tormento Vigilæ neque Iureconsulti, neque alius quisquam quicquam effatu dignum afferant si modum, quo infligitur, & tormenti atrocitatem, de qua restantur, excipias. at de impedimentis quæ exculare Reos possint, nihil omnino habent, supponendo forte id, quod dixi, nempe quod omnia ea, quæ à Chordæ exculantur, exculent multo magis à Vigilæ, sed hæc quæ addidimus exculant à Vigilæ, non autem à Chordæ.

Sed & illud peculiariter animadversionem in hoc tormento expolcit, quod si in hoc quoque tormento infligendo ea cautela adhibeatur, ne Rei per octo, aut decem horas quicquam comederint, aut biberint, cum tormento sunt subjiciendi, necessarium omnino erit plerisque si longo tempore in tormento detineantur, ex inædia deficere, maxime

autem juniores, & habitu graciles, qui jejuniū difficulter ferre possunt: in his enim cum ex labore, & dolore, quem in tormento perpetuuntur, fiat multa spirituum resolutio, si alia ex parte jejuniū & ante torturam, & in ipsa tortura perpetui cogantur, facili negotio animi defectus, lipotimia, syncope, & ipsa tandem mors succedere ipsis potest, nisi oportune hoc incommodum declinetur. quamobrem recte consultum puto, si minus temporis spatium intercedat inter comestionem, & tormentum, & forte non majus quinque horarum, maxime in calidioribus naturis, & in his qui habitus sunt gracilioris; quod tanto magis, ac tutius executioni demandari potest, quanto in hoc tormento non fit tam violenta corporis agitatio, ut in Chordæ; unde minor etiam occasio adest excitandi vomitum, ex quo etiam minus periculum in hoc, quam in illo impendit. Quin & in ipso tormento non inconveniens ducio Reis aliquid offerre, si deficere se clament, aut iudici ita videatur, quod tamen stomachum gravare non possit, ut esset jusculum carniū, vel panis bucella vino madefacta, vel aliquid simile, vel permittendum, ut vini modicum forbillent, quod executioni aliquando non imprudentibus iudicibus demandari accepi.

S V M M A R I V M.

1. Index reus mortis efficitur, si Rei in tormento ex sua negligentia moriantur.
2. Index quando veniat de homicidio, si Reus in tormento decedat.
3. Ad cognoscendum an Reus in tormento deficiat, quamnam attendere Index debeat.
4. Quomodo succurrendum his, qui in tormentis deficiunt.
5. Admonitio circa Reorum torquendorum inædiam.

Reos in tormentis deficere ex quibusnam signis cognosci possit.

Q V A E S T I O VI.

VENIT interdum in infligendis tormentis, ut vel nullum appareat impedimentum, vel nullum à Reis opponatur, vel si opponatur, sufficiens à Iudice, vel à Medico ad hoc convocato non existimetur, vel ut vere nullum impedimentum adsit, unde Rei tormentis expositi manifestissimi periculi aleam subeant, defectu animi, vel simili aliquo symptomate correpti, ita ut, nisi illico à tormentis deponantur; & quam citissime illis succurratur, acta de ipsis res sit: hoc autem magni momenti quidem est, tum quia de vita hominis agitur, tum etiam quia si in hoc iudicis culpa interveniat, qui nimis in tormentis excesserit, aut diligentiam non adhibuerit, nec peritos convocandos curaverit, antequam Reum tormento subjecerit, neque oportune jam deficiente incipientem à tormento deposuerit, ipse Reus mortis efficitur, de qua re, si quis plura scire desiderat, consulat Farinac. abunde de ea re differenter *quæst. 37. à num. 112. ad plures seq. ubi quando, & in quibus casibus hoc habeat locum sufficienter docet.* inter cætera vero, quæ ille habet hoc est, tunc nempe iudicem teneri de homicidio, quando Reum ultra ejus tolerantiam torquere non desistit,

non desistit, sed in torquendo modum excedit, quod tunc intervenit, quando apparentibus nonnullis signis, quæ demonstrare possunt tormentum excedere Rei tolerantiam, Iudex tamen illum ulterius torquet: necessarium igitur est videre ex quibusnam signis cognoscere liceat, quando Reus ex tormentorum atrocitate deficere incipiat, quæ quidem signa nimis succincte, & concisè affert Ambrosin. *de mod. form. process. lib. 4. cap. 14. num. 4.* ex quo etiam, sed nihil luculentius Guazzin. *ad def. Reor. def. 30. cap. 12. num. 3.* Accuratus, sed breviter recensentur à Fortunato loco *sepius cit.* Iudex ergo ubi aliquid mali suspicetur, vel quod existimet Reum esse debilis naturæ, vel quod in medium attulerit aliquid impedimentum, quod ipse Iudex pro insufficienti duxerit, vel quod tormenta sint nimis atrocia, vel præscriptum tempus excedant, tunc primo ad faciem, & totius corporis colorem attendat, qui si in pallorem manifestum convertatur, & appareat jam in Reo cadaverosa pene imago; si dehinc etiam livescere faciem, pedes, & brachia conspexerit, tum tanto magis de futuro animi defectu dubitans, majore circumspicione, & majore attentione Reum considerabit, tum etiam ad illum tangendum accedet, vel tangendum curabit, ad explorandum, an refrigerari secundum frontem, aut tenuiter sudare comperiat; quibus si accesserit vocis defectio, vel interceptio, crebrior anhelitus, & summa respirandi difficultas, aut si guttur, & collum præter modum intumescere videatur, si ungues livescant, & si cætera omnia membra, quæ maxime soluta habet dissolvi, ac quasi præmorta concidere adnotentur, jam magis de ea re sollicitus erit, quod si jam frigidus, ac tenui sudore frontem, vel narium copiosius, & tepidiore corpus totum diffusere comperiat, si jam summus præsens sit corporis languor, si palpebræ concident, si stertat, si spumam ex ore emittat, Reus jam prope mortem est, nisi confestim illi opem feras. neque debet Iudex hæc expectare, difficile enim esset hominem à morte eripere, antequam à tormento deponeretur, & apto in loco collocaretur; priora ergo signa animadvertens sese ad deponendum Reum à tormento accingat; quod si ea quæ secundo loco recensimus adnotaverit, illico, nullaque interposita mora deponendum jubeat, aptisque auxiliis illi subveniat, quæ mox recensebimus. & licet Rei multa effugiant, atque plura effugere possint, ut Iudici persuadeant, ne ulterius ipsos in tormentis detineant, ut vocis defectioem, crebram, ac difficilem respirationem, stertorem, languorem, spumam ex ore, & alia id genus, tamen neque pallorem, ac frædum illum, cadaverosumque corporis aspectum sibi ad libitum conciliare possunt, neque item ad libitum, & quantum voluerint, & ex quibus partibus voluerint exudare, neque alia nonnulla simulare, quæ in vero, & non ficto animi quocunque defectu evenire solent; ut admonui alias *lib. 3. tit. 2. quæst. 6. n. 9.*

Videtur autem maxime ad nos pertinere, ut demostremus, quam ratione succurrendum his sit symptomatibus, si unquam ex tormento eveniant; & primo Rei quanto citius à tormento deponendi, & undique à vinculis solvendi, placideque tractandi, & si fieri potest mollibus stragulis excipiendi, sin minus quiescere aliquo in loco quam minime incommodum permittendi; tum aqua frigida leniter inspergendi, vel rosacea in faciem projicienda; aceto item rosaceo tempora, nares, & pulsus ma-

defaciendi, aliisque non dissimilibus ingenii restitaurandi, quibus uti plerumque Iudices testatur Ambrosin. *ubi supra, lib. 4. cap. 14. num. 11.* quæ tamen leviora sunt respectu violentiæ prægressæ causæ; quamobrem necessitate urgente, nempe si Rei jam defecerint, & in manifestam syncope lapsi fuerint, neque tamen à tormentis depositi, & prædictis adjuti in se redierint, tunc absque dubio Medicus convocandus, sed interim si vocatus Medicus presito non adfuerit, quia in mora summum in hoc casu periculum, panis bucella vino generoso intincta offeratur, si modo porrectam assumere possint, vinum ipsum malvaticum, aut aliud generosum in os ingeratur, vel aqua vitæ tantillum ex Cinnamomo, aut Gariophyllis, aut simili, iisque etiam facies, pulsusque omnes madefiant; quinimo & petia eo vino madefacta, ac tepente testis involvantur, stomacho etiam crusta panis eodem vino calido madefacta apponatur, odoribus etiam gratissimis spiritus recreentur; nam mali odores in hoc casu omnino fugiendi, & idcirco reprobandum nonnullorum Iureconsultorum consilium volentium, ut malis quibusdam odoribus Reos excitare procuremus; cum enim syncope hic ex summa, ac confertim facta spirituum dissolutione eveniat, vitanda ea omnia, quæ aut spiritus ipsos dissolvere, aut turbare possunt; quamobrem nec cucurbitulis, nec fortibus ligaturis, nec dolorosis ullis remediis utendum, sed placidis, ac mitioribus tractandum, omniaque sine mora administranda ei sunt, cui salus hominis cordi esse debet.

Admonendum autem hic etiam quod superiori quaestione admonuimus, nempe quod cum confuscant Iudices homines per octo, aut decem horas jejunos tormentis exponere, aliqui ex ea sola occasione in prænarata mala incidere possunt, & maxime si longo tempore in tormento detineantur, ut absque dubio in Vigilæ tormento evenit, idcirco cum Iudex aliquid simile suspicatus fuerit, recte consultum puto, si aliquid signum etiam leve ex his, quæ recensimus demonstrantibus futurum animi defectum, adnotaverit, ut Reum cogat aliquid assumere, veluti bucellam panis vino intinctam, aut quid simile; aut si tormentum futurum sit diuturnum, aliquid majoris momenti, sic enim de facili hoc inconveniens evitabit.

S V M M A R I V M.

1. Taxillorum tormento non multum fidem Iudices.
2. In maxime debilibus etiam Taxillorum tormentum vitandum.
3. Morbi peculiare impediens hoc tormentum.
4. Sibillarum tormentum omnium levissimum.
5. Sibillarum tormentum quoniam impediens.
6. Ferula proprium prætorum tormentum.

De Taxillis, Sibillis, & Ferula.

Q V A E S T I O VII.

T Axillorum tormentum in locum atrocitatis tormenti adhibetur, vocaturque vulgo, la Stanghera, à repagulo ligneo, quo tormentarii in eo infligendo utuntur, ut suo loco dixi. eo autem Iudices non multum fidere videntur, imo periculosum esse dicunt, utpote quod non possit sua acerbitate, quæ multa non est, Reos cogere ad veritatem propalendam; idcirco ipse etiam Farinac. *in sepe citat. quæst. 38. num. 67.* hoc tormentum parvipendit, affirmans perpaucos esse, qui ob ejus efficaciam quicquam fatentur; cum tamen alia ex parte